



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 64. De privilegio ad Beneficia nominandi Galliarum Regibus concessio

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Equidem paucis admodum verbis proponerat, Basileense Concilium nullum ac illegitimum esse; ad firmandam enim hanc opinionem validas sibi deesse rationes haud ignorabat, nihilominus subjungebat, illud, exceptis Gallis, ab omnibus omnino Nationibus rejici. Postmodum ad electiones transitum faciens, earum incommoda ostendere nitebatur, affirmans, quod illæ nil nisi diffidia ac plurium annorum lites non modo coram Ecclesiasticis, sed etiam laicis iudicibus procreaverint, atque ob has cultus divini officii penitus neglectus, juramentum a Basileensi Syuodo præscriptum nullatenus observatum, indeque simonia fuisset introducta; tandem addidit, vigente electionum jure ægre admodum Pragmaticæ leges observari potuisse; cum pro impetrandis beneficiis electivis, ac pro causa promotæ adjudicanda Romanæ Curiae præsidium identidem fuisset imploratum; nunc vero ejusmodi incommodis facile per Concordatum obviari aiebat.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1518.

§. LXIV.

*De privilegio ad Beneficia nominandi Galliarum Regibus concessio.*

[Insuper Cancellarius subjunxit, quod *Pinffo. p. 743.*  
Con-

Y 2

Sæcul. XV.  
A.C. 1518.

Concordati beneficio ad Ecclesias nominandi privilegium Galliarum Regibus concederetur, plurimum autem, ut ejusmodi quoque gratia innovaretur, Regionum Officialium interesset, cum in Anglia etiam non nisi ad Regis nominationem Papa de beneficiis provideret, idque duntaxat ex Apostolici Indulti favore fieret. Plura recenset exempla ex S. Gregorio Turonensi petita, quibus ad beneficia nominandi jus Christianissimis Regibus concessum indicatur; circa Prælaturarum provisiones variam fuisse disciplinam demonstrat, ita quidem ut primo id juris solis summis Pontificibus competiisset, postmodum autem sacræ Episcoporum electiones a Principibus simul & Clero ac populo, postea a solo Principe, demum a solo clero absque populo, ac ultimo tandem a solis Canonicis factæ sunt, nemine alio ex Clero ad suffragium admissio; his addebat Cancellarius, mirum prorsus, quod Reges vacantibus Ecclesiis providendi jus sibi a Pontificibus atque Conciliis indultum abdicassent, ac tolerassent, ut se exclusis Clerus ejusmodi jus sibi arrogaret; at subjungere potuisset, Galliarum Regibus injuriam fieri, si ad Episcopatus, atque Abbantias nominandi jus Concordato deberi asseratur; re enim penitus discussa, atque a prima sua origine repetita  
dicen-

dicendum, quod Galliarum Reges quantum ad ipsa ferme solemnia hoc jus jam tunc exercuerint. Haud equidem diffitemur Clerum, & populum ad Episcoporum, Monachos vero ad Abbatum electiones in suffragii partem fuisse vocatos, eadem tamen eligendi facultas semper a Regum voluntate dependebat, (\*) qua sæpissime in præcepti necessitatem versa, illi a Regibus nominatum eligere tenebantur, imo etsi illis eligendi potestas hinc inde relicta fuerit, nihilominus Rex semper sibi reservabat electo investituram denegandi copiam, si hunc vel sibi minus acceptum, vel suspectum, vel merito repellendum censebat.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1516.

§. LXV.

*Responsum Cancellarii ad mandata & gratias.*

Post hæc Cancellarius de decreto circa mandata & gratias differens demonstravit, eas longe diversas esse ab illis quæ

(\*) Vide Natalem Alexandrum Hist. Eccles. Sæcul. XV. & XVI. Differt. XI. Articulo VI. ubi etiam hanc quæstionem discutit: *Quantum Reges Christianissimi in sacrarum electionum negotio ex Ecclesiæ concessione, vel permissione potuerint?*